

14
15
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
VENÆ SECTIONE
QUATENUS
DOLORES AD PARTUM AUGET.

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
ILLUSTRIS FACULTATIS MEDICÆ
CONSENSU

PRO LICENTIA
GRADUM DOCTORIS

RITE CONSEQUENDI

SOLEMNITER DEFENDET


CHRISTOPHORUS GOTTLIEB BONZ,

ESSLINGENSIS,

AUCTOR,

AD DIEM X. AUGUSTI MDCCLXIII.

H. L. Q. C.



ARGENTORATI,

Excudebat JOH. HENRICUS HEITZ, Universitatis Typogr.



DISSERTATIO IN A U G U R I A S M E D I C A

DE

V E N E R E O C C I D I O N I

IN QUARTIS

COLORIS AD PARIUM AUGET.

1744

ANNO MDCCLXXXIV

IN ACADEMIA PUBLICA MEDICAE

CONSTITUTA

PER ACADEMICOS

GRADUM DOCTORIS

CONFERENDI

SOLEMNITER DEFENDIT

CHRISTOPHORUS GOTTLIEB BOHN

ESSLINGENSIS

ACTOR

AD DIEM X SEPTEMBRIS

M D C C

IN ACADEMIA PUBLICA MEDICAE

CONSTITUTA

IN ACADEMIA PUBLICA MEDICAE



LIBERÆ ATQUE INCLYTÆ
SACRI ROMANI IMPERII
REIPUBLICÆ ESSLINGENSIS

S E N A T U I
V I R I S

ILLUSTRIBUS MAGNIFICIS GENEROSIS
EXCELLENTISSIMIS CONSULTISSIMIS PRUDENTISSIMIS

D O M I N I S

C O N S U L I B U S

P R Æ T O R I

S E C R E T I O R I B U S

C O N S I L I A R I O

S E N A T O R I B U S

P A T R I Æ P A T R I B U S

LIBERTATIS ATQUE FELICITATIS PUBLICÆ
CUSTODIBUS VIGILANTISSIMIS

JURIS JUSTITIÆQUE

VINDICIBUS PERSTRENUIS

M Æ C E N A T I B U S

P A T R O N I S A C F A U T O R I B U S

I N D U L G E N T I S S I M I S



DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM
IN PUBLICUM AC PERPETUUM
GRATISSIMI AC DEVOTISSIMI ANIMI
MONUMENTUM
PIA INTER VOTA SACRARE
SEQUE SIMUL ET STUDIA SUA ULTERIORI PATROCINIO
COMMENDARE VOLUIT

CHRISTOPHORUS GOTTLIEB BONZ.





PROOEMIUM.



Methodum indicare animus est, quam in tractatione electi Thematidis sequi lubet. Inquiram nimirum I) in indolem dolorum ad partum eorundemque causas. II) Demonstrabo plethoram in parturientibus presentem horum moliminum efficaciam infringere. Ac III. denique evincam, quod administrata Venæsectio optimum sit, quod huic malo medetur, remedium. Faxit Deus, ut qualiacunque hæc conamina cedant in sui nominis gloriam afflictique sequioris sexus solamen.

§. I.

Ordinaria naturæ lege sancitum est, ut feminæ gravidæ novem a conceptione interlapsis mensibus solaribus, vel quadraginta septimanis foetum in lucem edant. a) Historiæ, quæ passim in contrarium adducuntur, vel a parturientis

a) Vid. J. G. ROEDERER *Diff. de fetu perfecto*, Arg. 1750. §. 2. quam Ill. HALLER suis *Collectionibus Disp. anat.* inferuit.

rientis facili calculi errore dependent, vel ad casus pertinent omnino rarissimos, qui receptum in physiologia canonem infringere non possunt.

§. II.

Omnes fere auctores, qui vel artem obstetriciam scriptis suis illustrarunt, vel hanc materiam physiologice saltem pertractarunt, in eo uno ore consentiunt, quod partus ab uteri *b)* contractione deducendus sit: Verum in ratione reddenda, cur ea tantum determinato tempore contingat, in diversas abeunt sententias. Accusant nonnulli meconium foetui nimia copia molestum, alii urinam, alii defectum nutrimenti, desiderium respirationis, acrimoniam liquoris amnii &c. Excederem omnino speciminis inauguralis limites, si omnibus causis, quæ in hunc finem allegantur, recensendis refutandisque immorari vellem. Superfedeo itaque lubenter huic labori, ea solummodo addens, quæ mihi ad explicandum huncce effectum potissimum facere videntur. Quod ut eo facilius succedat, nonnulla prius de situ foetus in utero materno adferre liceat.

§. III.

Primis graviditatis mensibus nihil certi de situ foetus in utero statuere valemus. Constantior illè demum est versus sextum mensem, & quidem talis, ut foetus spinam dorso dorso gravidæ applicatam habeat, femora abdomini imposta & genua ita reflexa, ut calcanei natibus sint contigui.

b) De uteri fabrica penitius tradenda præcipue meruere Regn. DE GRAAF *de mulier organ.* T. I. RUYSCH, *adversar. anatomic.* Dec. I. Tab. I. II. SALZMANN *Diss. de mirac. nat. uter. mul.* III. HALLER *icon. anat. C. H. fascic. II. Tabul. de utero.* Cell. ROEDERER *icon. uter. human.* ad quos B. L. ablego.

tigui. Caput supremum locum occupat, facie anteriora versus paululum inclinata. Idquod jam ARISTOTELI *Hist. animal. L. VII. C. 8.* & HIPPOCRATI *de natur. pueri* quodammodo notum fuit.

§. IV.

Jam caput successive mole sua auctum proprio pondere sensum sensimque sese in pelvim demergit, & ipsi uteri cervici ita incumbit, ut facies os sacrum, occiput autem ossa pubis respiciat. c) Cum variæ conditiones nunc in matre, nunc in foetu occurrant, quæ efficere possunt, ut inversio hæc modo ocyus, modo ferius contingat, hinc errasse patet DIONIS d), MAURICEAU e), contententes, illam sub finem octavi mensis vel ineunte nono semper evenire. Veritati quidem sæpius respondet Cl. Virorum assertum, id quod ipse non semel expertus sum, verum exinde lex generalis minime condenda est. Non inquiram hic in rationes Cl. LA MOTTE, f) SCHMELLIE g), aliorumque, qui hancce situs foetus in utero mu-

A 2

tatio-

c) Positum capitis lateralem, quo una auricula ossium pubis symphysi, altera ossi sacro obvertitur, naturalem judicavere FIELDING OULD *Treatise of Midwifry P. I. p. 28. Sqq.* & W. SCHMELLIE *Treatise of Midwifry L. III. C. I. S. I. p. 175.* Sed habent Cl. Viri receptæ hypothesi contradicentem experientiam, quam præterea, si etiam obtineret, gravissimis difficultatibus premi, fufius demonstrat Cel. ROEDERER *l. c. p. 21.* Conf. quoque Cl. LEVRET *Suite des Observat. Art. VI. p. 164.*

d) *Des accouch. p. 188.*

e) *Traité des maladies des femmes grosses, & de celles, qui sont accouchées. Paris, 1721. p. 234.*

f) *L. I. Cap. XXIII. Traité des accouchemens naturels, non naturels, & contrenature.*

g) *l. c. Vol. I. L. III. C. I. S. I.*

tationem plane negant. Quivis sane, qui diversis graviditatis temporibus orificium uteri accuratius exploravit, de hac re facile convincetur. Sufficiat haec dicta corroborasse auctoritate Cl. LEVRET *b)* recentissimi artis obstetriciae scriptoris, *la plupart des modernes*, inquit ille, *tourment mal a propos en ridicule les anciens sur la culbute des enfans; je n'y vois rien pour moi, que de très naturel, & il est d'ailleurs très facile de rendre raison de ce changement de position.*

§. V.

Caput ratione §. IV. dicta in pelvi hærens in principio levi admodum negotio elevari potest, & pressione sublata sponte iterum descendit; quo propius vero femina a partu abest, eo ægrius quoque illud sese in altum agi patitur, ita, ut tandem, cum majora indies nutritionis ope incrementa capiat, gravitasque ejus inde necessario augeatur, omnem reprimentis digiti vim eludat, non igitur fieri potest, quin a pondere incumbentis foetus cervix uteri una cum osculo magis magisque in vaginam ipsi appensam intrudatur. Labia orificii uterini molliora, planiora reddita sensim sensimque divergunt. Exprimitur ex sinibus cervicem uteri obsidentibus mucus sat copiosus, naturali primum colore gaudens, postea vero cruore plus minusve tinctus. A capitis denique profundiore in pelvim descensu deorsum quoque trudentur membranæ aquis plenæ, oritur hac ratione in superiore cavitate matricis spatium, licet sub initio parvum, quod a liquore amnios non amplius repletur, inde exsurgunt fibrarum muscularium *i)* ibidem occurrentium.

b) *L'art des accouchemens &c.* Paris, 1761. p. 24.

i) Substantiam muscularem in utero nemo amplius in dubium vocabit. Agnoscunt illam obstetricantium plurimi MAURICEAU *T. I. C. IV. p. 24.* DEVENTER *Nov. Lum. Obstetric. P. I. C. IV.*

rentium, quia causa, quæ eas ad expansionem urgebat, nunc ex parte remota est, leves primo facileque transientes contractiones, quæ mora vel longiori vel breviori interjecta recurrunt, ingravescentque eo magis, quo profundius velamenta a retropremente capite propulsa descendunt, tumescunt illa majori continuo liquoris quantitate, orificium uteri atque vaginam distendunt, iterque transeunti capiti facilitant, majus ideo cum in utero perpetuo evadat spatium, hinc tandem vehementissimæ oriuntur, longiusque protractæ & per breviora intervala recrudescentes totius fundi uterini contractiones, quæ non nisi foetu excluso finiuntur. Juvat hosce motus parturiens actione diaphragmatis & musculorum abdominalium.

§. VI.

Ipsæ hæ fundi uterini contractiones §. V. exserunt sese sensatione parturientibus valde molesta, quam & eruditi & vulgus termino dolorum ad partum exprimunt. Recepta est distinctio inter dolores præfagientes & veros, sed minus bona, cum & illi cum veris notis quibuscunque essentialibus conveniant. Dantur quoque alii adhuc dolores inutiles plane, qui, quod veros mentiuntur, nothi appellantur seu spurii. De singulis statim uberius verba faciam.

A 3

§. VII.

p. 23. SCHMELLIE *l. c. C. I. S. II. p. 98. &c.* Fibræ uteri motrices, quas cinereo colore gaudere novimus, pro varia, qua locantur, uteri parte magis minusve separabiles sunt. Ita strata fibrarum in fundo uteri distinctiora adsunt, minus extricabilia, pertinaciusque cohærentia in cervice. Alternæ fibrarum longitudinalium & transversarum dispositiones, una cum obliquarum irregulari interjecto ordine positus legem fere faciunt, ac ita distribuuntur, ut pleræque inter vasorum rete & externam uteri a peritonæo oriundam membranam locentur, reliquæ interstitia vasorum repleant. Vid. Cel. ROEDERER *l. c. p. 7. seqq.*

Ordinis ratio me primo ducit ad explicandos dolores ad partum præfagientes, german. *Kopfer, Vorbothen*, quibus femina post elapsum octavum mensem infestari solent. Incipiunt illi in regione iliaca & lumbari, progrediuntur versus ossa pubis & sacrum, stimulumque ibi excitant, ob intestini recti ac vesicæ urinariæ pressionem ad lotium fæcesque alvinas reddendas plus minusve vehementem. Coacta est hisce doloribus ingruentibus gravida, eundem, quo ab illis corripitur, situm servare, copiosioremq; aërem inspirando, eumque diutius retinendo diaphragma deorsum urgere. Facile hinc rationem elucescere puto, cur facies ut plurimum illo tempore erubescat. Notum insuper est, orificium uteri jam aliquot septimanis ante partum sæpius ita apertum esse, ut non raro tangenti digito in ipsam uteri cavitatem aditus pateat; quando urgente tali dolore gravida tactu attentius exploratur, tum experimur, quod uteri osculum paulo profundius una cum capite ipsi incumbente in vaginam descendat, & quod inter divergentia labia vesicula aliqua parva amnii liquore turgida prodeat, quæ cessante dolore iterum evanescit: quo ipso momento caput ab orificio uteri, cui ante fortius innitebatur, denuo recedit, atque cum eo, omni nunc pressione sublata, sponte iterum ascendit. Membranae dein foetum cingentes, arctius jam ipsius capiti applicantur, hinc facile accidit, ut imperitiores, minus bene instituta exploratione, sibi persuadeant, sese caput plane nudum membranisque orbatum tetigisse, atque exinde argumentum desumentes pro adstruendo jam dudum, ut ipsis videtur, prægresso aquarum effluxu, sese prudentiorum contentui exponant. Cum nemo non perspiciat, gravidam hisce doloribus adfigi posse, licet orificium uteri nondum plane pervium sit, ideo sponte liquet,

liquet, quod tunc quoque nulla vesicula tactui offeratur. Cæterum hi dolores satis lenes brevesque existunt, neque adeo multum incommodi parturientibus creant, evadunt autem longiores magisque pertinaces, quo magis causæ §. V. recensitæ augentur.

§. VIII.

Contractiones uteri vehementiores, diutius protractæ, per breviora intervalla recurrentes, stricte appellari solent dolores ad partum veri. Multum non habeo, quod huc addam; valent enim de iis, quæcunque §. anteced. de indole præfagientium tradidi. Ego saltem nullam, qua à sese invicem recedant, differentiam invenio, illa excepta, quæ ratione gradus atque effectuum quorundam inde explicandorum inter eos obtinet; nimirum velamenta uteri orificio magis magisque dilatato majori continuo aquarum quantitate farciuntur: Capite dein jam jam ossibus pelvis impacto illa quidem urgentibus doloribus magis propelluntur, iisdem vero cessantibus non nisi ex parte tantum recedunt, ita, ut sub specie satis amplæ distentæque vesicæ in vagina hæreant, licet parturientes a nullo plane dolore infestentur. Hinc non est, cur miremur, quod tunc quoque caput ab explorante digito tangi minime possit.

§. IX.

Devolvor nunc ad eruendam indolem dolorum ad partum spuriorum, qui parturientes interdum misere excruciant, quique vel situi foetus, vel uteri plus minusve obliquo debentur. In hoc illove casu, cum caput foetus alicui matricis lateri incumbat, illudque premat, extendatque nimium in modum, hinc musculares fibræ ibidem locatæ
in

in contractionem nituntur. Dolores, qui inde exsurgunt, minime uti sub moliminibus ad partum veris dictum est, a regione lumborum ordiuntur, atque versus ossa pubis vergunt, verum transversim tantummodo per abdomen atque regionem pubis decurrunt, exquisiti admodum atque lancinantes. Tantum abest, ut sub hisce doloribus orificium uteri dilatetur, ut potius illud magis constringi frequenti experientia compertum habeamus. Nulla quoque apparet distenta amnii liquore vesica, & hoc nulli miramur; constat enim, foetum sub inordinatis hisce motibus minime propelli, sed ut plurimum ab orificio uteri removeri. Id denique notandum adhuc habeo, quod hi dolores spurii, quando acrius adfligunt, subinde in veros, genuinos dolores ad partum abeant, fundo uteri nimirum in consensum tracto, signis §. VII. VIII. datis cognoscibiles, hoc loco non repetendis.

§. X.

Cum præcedentibus confundi non debent dolores colici, parturientes etiam haud raro afficientes, qui longe melioris prognoseos sunt. Facillime atque optime ab iis distinguuntur, statum explorando uterini orificii, absunt enim omnia illa phaenomena §. IX. recensita. Varias hic intestinorum affectus agnoscit causas, variaque pro harum diversa ratione atque genio insequuntur symptomata. Subnascitur ille quam maxime ab infarctu flatuum in intestinis, præcipue colo, hærentium, pressis justo nimis ab incumbente utero, vel etiam a congesto in intestinis nimio sanguine, nerveas illorum membranas tenerrimas, sensilissimas distendente. Qua de re omnino ulterius evolvi merentur Fr. HOFFM. *Med. System. rat. T. IV. P. II. Sect. II. c. V.* & Ill. B. VAN SWIETEN *Comment. in Bærhav. aphorism. 650.*

§. XI.

Ea omnia, quæ contractiones uteri §. V. impediunt, quas dolores ad partum appellari §. VI. dicebam, ea quoque eo ipso foetus, licet naturaliter siti exclusionem remorari magisque difficilem reddere intellectu perquam facile est. Potissimum hic accusandam esse plethoram, demonstrare jam annitar.

§. XII.

Feminae in universum præ virili sexu plethoræ seu sanguinis abundantia obnoxia sunt, favet illi quam maxime longe mollior earum corporis habitus; gaudent carne minus compacta, ossibus tenerioribus, majorique adipis abundantia, arterias habent ampliores, magis dilatibiles, debiliores, quæ distendenti liquido lubenter cedunt, neque illud satis vegete propellunt *k*), venæ in proportione minores sunt & duriores, ægriusque cruorem exeuntem de arteriis transmittunt. Quæ cum ita se habeant, sequitur, augeri facillime, in feminis imprimis, corporis incremento vel decrescente, vel jam plane absoluto, copiam sanguinis, oriri plethoram, menstrua.

§. XIII.

In feminis deinde, postquam conceperunt, nullæ amplius ordinariæ evacuationes menstruæ contingunt, sed natura superfluum sanguinem destinavit nutritioni embryonis. Verum enimvero unusquisque videt, tantam copiam cruoris, quanta per menstrua intervalla excerni solet, impendi minime posse in corpusculi tam parvæ molis incrementum, ergo evadit illo tempore gravida quam
maxi-

k) III. HALLER *Comment. in Berhav. prælectiones T. V. P. II.*
p. 7. *sqq.*

maxime plethorica, præcipue quando temperie gaudet sanguinea, largioremque antea fluxum experta fuit, unde quandoque accidit, ut feminæ primis graviditatis mensibus menſtruo adhuc laborent profluvio: aſt anceps quam maxime eſt, qui ſequitur eventus, ſalutaris quidem, quando abundans ſanguis ex vagina vel ex oris uteri circumferentia externa prodit, verum certiffime funeſtus quando is ipſe ex uteri cavitate effluit, foetus enim levi ſublato, quem cum utero habuit nexu, una cum ſanguine exit. Circa dimidium fere geſtationis tempus foetus demum par eſt capiendæ portioni ſuperflui materni ſanguinis, vaſa quoque uterina majora in dies & ampliora facta plus liquidi recondunt. Patet itaque facili ratiocinio, ſanguinis copiam in ea ratione decreſcere debere, in qua gravida ad terminum partus accedit. Sed aliæ adefſe poſſunt, & ut plurimum quoque adſunt potentia, quæ faciunt, ut feminæ ſex pluribusve menſibus gravidæ à plethora tamen minime immunes vivant: appetitus enim, qui in principio graviditatis proſtratus & nauſeæ vomitibusque non raro junctus erat, redditur nunc vegetior, cibis veſcuntur feminæ ut plurimum blandis, digeſtu facilibus, longiori indulgent ſomno, neque corpus exercent ſufficiente motu, quæ omnia, bonum chylum ac ſanguinem magna copia generando, ejuſque debitam conſumptionem impediendo, producendæ plethoræ quam maxime favere, non opus habeo, ut multis argumentis demonſtrem.

§. XIV.

Sed ſanguis in gravidis mole auſtus præprimis in partibus uterinis accumulari ſolet; truncus enim deſcendentis Aortæ in feminis amplior eſt, & omnium maxime dilatantur.

dilatantur arteriæ, in quas ille finditur iliacæ ¹⁾, atque minori quoque pallent robore, necesse ergo est, ut cruor copiosius per vasa perampla ad minus resistentem, extensilem uterum ruat, venæ dein in copiosissimos stipatissimosque plexus abeuntes refluenti sanguini otia faciunt, nec valvulæ adsunt, quæ alias venosum laticem adeo insigniter promovere solent, exceptis quibusdam in venis spermaticis, quare aliter fieri non potest, quin sanguine liberius per arterias admissio operosiusque per venas redeunte, vasa uterina præ cæteris repleantur.

§. XV.

Cum itaque demonstratum sit §. XIV, plethora in gravidis præsentem, sanguine nimio præprimis uterum turgere, ita effectus quoque, qui a cruore majori copia vasis in hærente producuntur, non possunt non ibidem esse notabiliores. Evidentes illi quam maxime sunt in utero parturiente, id quod ex sequentibus jam ulterius patebit.

§. XVI.

Evidetum supra dedi, feminas ope contractionum uteri partum eniti; illas fibris muscularibus adscribi debere, nullus dubio locus superest; sed reptant uti §. V. notostendi, fibræ uterinæ motrices partim super vasa sanguifera, partim in vasorum interstitiis, quodsi igitur nimis tumefacta vasa sunt sanguine, fibræ musculares debito modo, ob nimis resistentem undique sanguinis molem, in contractionem ruere minime possunt, id quod quivis facillime perspiciet, oriuntur ex hac ratione dolores ad partum debiles brevesque, nec apti, foetui in lucem propellendo, parturiens inanibus, quos exercet, defatigatur

B 2

cona-

¹⁾ Vid. HALLER *l.c.* & illi, quos ibidem citat auctores;

conatibus. Denique etiamſi poſt longius temporis interval-
 lum dolores paululum validiores accedant, ſanguis ta-
 men aſtione fibrarum motricium nimis preſſus, non raro
 in ea uteri parte, qua ille cum placenta cohæret, exitum
 quærit, invenit, hæmorrhagiam excitat, ſi non ſemper
 matri funeſtam, tamen certiffime quam maxime pericu-
 loſam.

§. XVII.

Numquid igitur melius dari poteſt ac convenientius
 magisque ſalutare remedium, quam venæſectio inſtituta
 in parturientibus plethoricis? Dignoscuntur illæ ex pul-
 ſo pleno, temperie ſanguinea, vitæ genere lautiore, nec
 non ex reliquis plethoram generantibus cauſis in fine
 §. XIII. recenſitis; fere certo quoque ad ſanguinis redun-
 dantiam concludere licet, ſi gravidæ primis geſtationis
 menſibus uterinas reddiderunt purgationes, neque poſtea
 venæſectionem admiferunt, nec non ſi durante gravidita-
 te vel jam ſub ipſis moliminibus ad partum ſanguinem de-
 naribus ſtillarunt. Exercetur hæc operatio optime ſub
 ipſis partus doloribus, ob dictas §. anteced. cauſas minus
 rite ſuccedentibus, nam verus geſtationis terminus, quo
 illa alias inſtitui jubetur, feminas ut plurimum latet, &
 graves noxas, quæ tunc ab intempeſtively celebrata ſanguis-
 nis miſſione exoriri poſſunt, aliquot exemplis enarrat Cl.
 LA MOTTE. *m*) Quantitas detrahendi ſanguinis ex
 parturientis viribus, ætate, pulſu &c. dimetienda eſt.
 Repetitionem quoque venæſectionis, ſi adſint, quæ illam
 exigunt, indicationes, rationalis ſuadebit medicus. An-
 ne opus eſt, hic monere, ſermonem tantum eſſe de ſitu
 foetus naturali? In præternaturali enim, ubi verſione in-
 fantis opus eſt, obſtetricans potius de imminuendis tol-
 lendis-

m) l. c. L. I. C. XV.

lendisve quam augendis partus doloribus, si aliquod, quod huic voto satisfaceret, exstaret remedium, cogitabit.

§. XVIII.

Cum imminutio sanguinis artificiali hac evacuatione in corpore gravidarum obtineatur, cruorem quoque in vasis uterinis hærentem minui palam est. Vasis insuper aliqua portione liquidi liberatis elasticitatis exercitium redditur, hinc illa majori vi contentos humores promonent, circulationem præprimis in utero, sanguinis stagnationi adeo facile favente, expeditiorem faciunt. Omne igitur impedimentum, quod tensas fibras musculares uterum investientes a contractione arcebat, detracta jam sanguinis mole sublato est, liberior quoque redditur, qui antea sine dubio impeditior erat, in fibras motrices spirituum animalium influxus. Quid igitur mirum, tam luculentos, tam egregios hanc operationem comitari effectus? Ipse enim sæpissime levibus antea agitata nixibus parientes, sanguine adhuc de vena pertusa fluente, correptas observavi doloribus ad partum longioribus, vehementioribus magisque pertinacibus. Vidi quoque non semel revocata feliciter hocce remedio silentia plane ad partum molimina, partumque breviori temporis spatio ac minoribus parturientis laboribus subsecutum. Consentientes habeo Cel. in arte obstetricia Viros; VAN HOORNIIUM, *n*) qui venæsectionis efficaciam non semel expertus est; nec non Cl. SCHMELLIE *o*). Vetusissimus denique artis nostræ parens HIPPOCRATES *p*) longæva

B 3 edo-

n) In libello: *Die durch Frag und Antwort treulich unterweisende Wehmütter* &c. Obs. VI. § Schol.

o) *l.c. L. III. C. II. S. V. Art. III.*

p) *L. I. de morb. mulier. S. V. p. 623. edit. Fœs.*

edoctius experientia huic sententiæ album calculum adjicit, cujus verba digna omnino sunt, ut hic recenseantur; *Quodsi pragnans, inquit ille, diutius immoretur, & parere non possit, sed pluribus diebus partus doloribus discrucietur, sit autem juvenis & atate florens multoque sanguine redundet: vena in malleolis secare oportet, & virium habita ratione sanguinem detrahere.*

§. XIX.

Subinde quoque parturientes in principio molimini- bus ad partum adfliguntur satis exquisitis, ipseque adfulget felicitis puerperii; verum illa postea sensim sensimque pristinum vigorem amittunt, debiliora evadunt & languidiora, hujus phænomeni ea est interdum ratio: Massa sanguinea decenti quantitate præfens vehementiore contractione uteri & organorum actione, quæ respirationi inserviunt, exagitata in celeriores rapitur motum, quem frequentia pulsus sufficienter testari solet, major fit molecularum tum inter se mutuo, tum ad vasorum parietes attritus; unde erumpit calor naturali intensior, laxatur mutua partium sanguinem constituentium cohæsiō, rarefactus sanguis majus occupat spatium & vasa sanguifera non secus, ac si plethora adesset absoluta, expandit. Mirandum itaque non est, ab eadem causa eosdem, quos §. XVI. annotavi, proficisci effectus, qui proinde eodem quoque tolluntur remedio.

§. XX.

Quæstio adhuc occurrit, quam in parte administranda sit venæsectio, an in pede, brachiove? Nolo me hoc loco immiscere eruditorum altercationibus, quas de-
deri-

derivationis & revulsionis existentia q) inter se agitarunt. Optatos ego semper successus vidi a sanguinis missione in brachio instituta, quos etiam v. HOORN l. c. & Clar. LEVRET passim in suis *Observationibus* confirmarunt. Interim ii mihi non peccare videntur, qui hanc operationem in pede perficiendam esse putant, utpote ipsa Divi Senis auctoritate suffulti.

§. XXI.

Intellectu jam facile est, quam male ii suæ famæ & conscientiæ consulant, qui parturientibus plethoricis loco instituendæ venæsectionis, medicamenta propinant calidiora, e. gr. Myrrh. Croc. &c. quorum magnum catalogum sub nomine remediorum partum pellentium offerunt materiæ medicæ compendia, cane pejus & angue illa in hoc casu fugienda sunt, sanguis enim illorum usu in orgasmum concitatus expanfa vasa necessario adhuc magis distendit, augentur hac ratione impedimenta, quæ partum remorari solent, tantum abest, ut imminuantur; quin ruptis non raro vasis sanguinis ex utero excitatur valde ancipitis eventus profluvium, lethali bus subinde exceptum convulsionibus.

q) Controversia hæc uberius diducta habetur in Cel. HAMBERRI *Dissert. de Venæsectione, quatenus motum sanguinis mutat.* Jenæ, 1737. & in Cl. David RECHERCHES *sur la manière d'agir de la saignée.* Paris, 1762.







Strassburg, Med. Diss., 2.

ULB Halle

004 194 284



3

Sb.





14
15
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
VENÆ SECTIO NE
QUATENUS
DOLORES AD PARTUM AUGET.


ANNU
ILLUSTRI

PRO

GRA

SOL
CHRISTOP

AD D



Excudebat JOH. HENRICUS HETZ, Universitatis Typogr.

